

Andreas Hoierus Johann Crüger

Part. Secund. Axiom. Disputatio Tertia, De Axiomatibus Universalis Et Singularis

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730219879>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 7649

Imbricat. Kewer

Johann. Crüger



PART. SECUND. AXIOM.
DISPUTATIO TERTIA,
DE
AXIOMATIBUS
UNIVERSALIS ET SIN-
GULARIS,

Quam

D. O. M. A.

Consensu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,


SUB PRÆSIDIO

M. ANDRÆ HOIERI, Cimbri,

Publicè tuebitur

JOHANNES CRUGERUS, Lub.
Habebitur in Auditorio Majori, ad d. 22. Decemb. 9. f.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ
clō loc. XLIX.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

50

SYLLABUS AXIOMATUM DISPUTAT. TERTIÆ

- Ap. 1. *Universale non est nudum ac merum nomen.*
2. *Universale est in singularibus.*
3. *Universale fit ab intellectu.*
4. *Universale fit à solo intellectu.*
5. *Unitas formalis & universalis differt à numerica.*
6. *Universale est ubiq.*
7. *Universali est æternum.*
8. *Universale non limitatur ad certam naturam.*
9. *Universale non cognoscitur à sensu.*
10. *Universale plus habet. quam singulare.*
11. *Universale est prius singularibus.*
12. *Peremptis singularibus. universalis perit.*
13. *Singularium non est scientia.*
14. *Singulare non definitur.*
15. *Singularia ejusdem speciei aequalia sunt.*



Ax. I.

Universale non est nudum ac merum nomen.



Iversam ab hac sententiam fovent *Venerabilis Inceptor* 1. sent. d. 2. q. 4. *Gabriel Biel* 1. dist. 2. q. 7. & 8. & universa *Nominalium* schola, nisi sit, ut aliud loquantur, ac aliud tacitò sub pectore volvant, quod auguratur *Franc. Suarius* disputat. *Metaphys.* 6. f. 2. Ab *his* non alienos fuisse olim *Heraclitum*, *Cratylum* & *Democritum*, autores sunt *Plato* in *Theæt.* & *Aristoteles* 1. *Metaphysic.* cap. 6. & 4. eorundem cap. 5. *Hos* postmodum excepere *Epicurèi*, *Pyrrhonij*, sine *συνετηξοι*, & novæ *Academiae* *Professores*; ut ex *Diogene Laercio* de vit. *Philosoph.* lib. 9. *M. Tullior* de finib. bonorum & mal. & 2. *Academ. quaest.* *Agellio*, *Collegio* quoq; *Conimbric.* proœm. in *phys.* *Aristot.* q. 3. art. 3. aliisq; innotescit. Quæ sententia tam absurda visa est *Sapientioribus* omnibus, ut non modò eam validis argumentis passim refutârint; sed & sedulò moneant, ut *Dialectici*, qui eam amplecti non erubescunt, quàm cautissimè ad sacræ paginæ quæstiones accedant: Quæ de re vid. *Anselm.* lib. de incarn. cap. 2. Nos ne, *Andabatarum* more cœcis ictibus pugnemus, distinguimus 1. inter *universale complexum*, sive *ἁπονοητικόν*, & *incomplexum*, sive *νοητικόν*: illud propriè in quæstionem non venit; sed hoc; estq; quicquid voce simplici significatur, & sic est unum, ut aliquem ordinem ad plura dicat, veluti loquuntur *Complutenses* disputat. *Logic.* 3. sub init: Unde & à *Conimbricenses* sibus ad

G 2

præfat.

præfat. Porphyr. quæst. 1. art. 1. *simplex* appellatur. Ut verò ordo ille variè se habet; sic & universali varia subternitur notio: Quandoq; enim *effecta* respicit; & emergit *universale* in *causando*: interdum ad *plura* ut *signum*, refertur; oriturq; quod à *significando* nomen habet: nonnunquam cum *multis*, quorum *similitudo* est, comparatur; unde illud, quod à *representando* denominatur. Creberri-
mè autem ad *aptitudinem*, quâ *multis* inesse dicitur, confer-
tur; & hinc est *universale* in *essendo* seu *Metaphysicum*: quod excipit *pradicabile*, seu *Logicum*: Paulò aliter Cl. Piccardus multiplicem hujus nominis potestatem adstruit, quem conferre licet disput. 28. de *quinq; universal.* His ita prælibatis *axioma* ob *universale Metaphysicum* in *primis* forma-
rum *affirmamus*: *deq; eo verum esse, quod dicitur, in aprico est*:
Quæ enim, quæso, dementia est, nomina, quæ rerum signa sunt, sine rebus ponere? cum vanus sit omnis conceptus, cui nihil respondet in re, ut ex *Jacobo Zabarella* lib. 2. de prim. rerū mat. cap. 18. & *Goch* in prod. *Lex Philosoph.* cap. 3. alibi ostendimus. Præterea innata nobis sciendi cupido est, quæ potentia, juxta illud *Philosophorum*, *axioma*, *frustra esset, nisi in actum deduceretur*: At *naturam nihil facere frustra*, itidem constans sapientium assertio est: Jam verò nominum non est scientia; cum ea non sint necessaria, aut æternæ veritatis, sed ex instituto valeant, ut ex *Interpr.* cap. 2. & ipsâ quoq; experientiâ constat. Ergo res, de quibus scientiâ comparemus, esse necessum est: has autem vocamus *universales*, de quibus in subseqq. *axiomatibus* plura. Id heic ad *Adversariorum* argutias cum *Colleg. Conimbricens.* id præfat. Porphyr. 9. 1. a. 2. in *genere* reponimus, eas ferme omnes in eo peccare, quod non distinguant *singulare* per se primo per *differentiam*

tiam

tiam individuante essentialiter constitutum à singularibus per accidens: hoc est eo quod per conjunctionem cum eadem differentia individuante sit singulare, quasi extrinsecè, cum per se nihil singulare includat. In specie, si se occasio obtulerit, in conflictu ad singula respondere non recusabimus. Quod superest cum subtiliss. Jul. Cas. Scaligero exercitat. LXV. sect. 4. Nominalium ingenia admiramur, atq; etiam laudamus ut acuta, fugimus ut nimis acuta. Conf. Fonsec. 5. Metaphys. c. 28. q. 2. Suar. disp. Metaphys. 6. sect. 2. Conimbr. l. c. quaest. 1. artic. 2. Complut. disput. Log. c. 3. q. 1. alijsq; innumeri, tam Recentiores quàm Vetusiores.

AX. II.

Universale est in singularibus.

Fluit hoc est superiori: Quoniam enim universale non esse merum ac nudum nomen; sed rem nomini substratam deprehendimus, in rebus quoq; iisq; quia omne quod existit, singulare est, singularibus illud fundamentum habere necessum est. Quod ut rectius intelligatur, itidem nonnulla de voce *universal*. prænotanda veniunt. Vocant enim Philosophi aliud *καθόλου πρὸ τῶν πολλῶν* seu *universale ante rem s. multa*; aliud *ἐν τοῖς πολλοῖς*, *in re s. in multis*; aliud deniq; *μετὰ τῶν πολλῶν* *post rem, seu multa*. illud definit C. d' Abra d' Raconis p. 1. Logic. tract. 1. disp. 1. s. 2. q. 2. *naturam secundum se, quatenus ea solum apta est inesse multis, antequam in illis existit: Quemadmodum v. g. natura humana secundum suam essentiam consideratur, ut tantum apta est, in individuis existere, priusquam iis existere intelligatur, ut ante mundum conditum. Unde & natura nuda, seu, ut idem ibidem ait, singularitate nondum vestita nominatur. Alij hoc universale cum idea Platonica cōincidere tradunt, quippe quæ fingebatur incorruptibilis, immo-*

bilis, communis, per se subsistens à singularibus separata, cujus participatione singularia generarentur &c. ut ex *Aristotele aliq. Auctoribus* colligere est. *Istud sive universale in multis, quod & Physicum nominatur, communiter describitur ipsa natura universalis, prout in ipsis rebus est. Ubi notandum est è Suarez. disp. Metaphys. 6. f. 8. quod hòc modò non sumatur formaliter, ut universale est, sed tantum materialiter, pro natura humana, quæ abstrahi, & universalis denominari potest. Huc pertinet v. g. natura humana, quatenus in hoc illo & isto homine est: vocatur à nonnullis natura vestita. De hoc verò, si universali post multa Raconis d. l. ita differit: *Universale post rem sive post singularia est ipsa natura universalis, considerata ab intellectu sine conditionibus particularibus, cum quibus conjungitur, ut natura humana considerata ab intellectu sine differentiis particularibus Petri, Pauli, Petreitate & Paulitate &c.* Hoc appellatur logicum; item natura denudata. Alij universale post multa nihil aliud esse docent, quàm secundam intentionem fundatam in natura aliqua, quatenus prædicabilis est de pluribus specie, & número differentibus. *Priori modò definitum universale hoc nos cum Suarezio disput. d. sect. 8. rectius Metaphysicum appellari arbitramur: Metaphysica enim est, ut bene idem ibidem adserit, distinguere entia rationis à realibus, & quam essentiam vel entitatem habeant, declarare; quod alienum est à Dialectica sive Logica instituto. At secundum posteriorem descriptionem idem à Logica nomen rectè fortitur. His melioris intelligentiæ causâ præmissis, axioma verum pronunciamus de universali in re, & quod cum Suarezio Metaphysicum potius quàm Logicum salutarè voluimus: si nempe fundamentaliter spectetur, Universale autem ante multa, quomodocumq. sumatur,**

matar, hic locum habere nequit: non priori sensu, siquidem
 subjecta ejus poni oportet, antequam in iis esse possit: sed
 nec posteriori; cum non entis nullæ sint affectiones, ut
 in *disp. 2. part. 1. ax. 14.* ostendimus: *Ideas* autem hujus-
 modi inter non entia numerandas esse, nisi contradic-
 tionem admittere velimus, in *dispur. nostrarum Metaphys.*
12. th. 3. demonstravimus. Vid. *Aristotel. 13. Metaphysic.*
cap. 4. ubi ex professo *ideas* impugnat, aliisq; multis lo-
 cis, & *Scholast. Dd.* quorum pleriq; eas refutarunt; nec
 non ex recentioribus *J. C. Scalig. exerc. 307. f. 22. Jacob. Marr.*
exercit. Metaph. lib. 1. ex 8. th. 7. Christoph. Scheit. Me-
taphys. lib. 1. cap. 7. tit. 7. a. 1. Horn. instit. Logic lib. 1.
q. 7. &c. Utrùm autem, quod obiter notamus, hæc sen-
 tentia *Platonis* fuerit, nec ne. de eo dubitari non immeri-
 tò potest? Quamvis enim non modò ex *Timæo* ejus col-
 ligi videatur; sed & ipse *Aristoteles*, qui teste *Dionys. Halicarn.*
 viginti ipsos annos ejus lectiones obiverat, *Diogene-*
nes item Laertius lib. 6. alijsq; probatæ fidei Autores id tra-
 dant: non tamen defunt gravissimi ac accuratissimi ju-
 dicij *Dd.* qui injuriam suo *Homero* fieri contendunt. In-
 ter quos sunt *Cicero 1. Tuscul. quæst. Seneca epist. 66. Dio-*
nysius Areopagita, sive quicumq; sit, qui tractatum de *Divi-*
nis nominibus consignavit. *Camerarius & Acciaiolus 1. E-*
thic. cap. 6. Quod idem etiam docuisse *B. Augustinum* *m.*
lib. 83. q. 46. & 7. de Civit. Dei c. 28. Eusebium de præpa-
 rat. *Evangel.* nec non ex *Græcis interpretibus Simplicium &*
Themistium; ut & *Eustratium* testantur, quibus hos autores
 inspiciendi legendiq; copia data fuit. Hæc ante-
 quam abeamus, illud expediendum arbitramur, quod à
 Philosophis disquiritur; sitne *universale actû ante mentis*
operationem in singularibus, an verò potestate seu, ut alij lo-
 qui

qui amant, an universalis natura in rebus singularibus ex se habeat (sufficientem unitatem, ob quam universalis denominetur; ita ut non modò natura universalis; sed ipsa etiam universalitas in rebus sit? *Fonsæca* 5. *Metaphys.* cap. 28. q. 1. & seqq. summo opere annititur, ut suadeat, naturam universalem in individuis non esse actu universalem, neq; tamen à solo intellectu universalitatem actualem habere; sed ex se ante operationem intellectus, & ante omnem contractionem ad individua &c. Unde *Abr. de Raconis* tr. 1. de univers. sect. 2. q. 2. aliq; nonnulli naturam verè universalem ante singularium existentiam pronunciant. Ne verò in *Platoniam* aut fortè *Xenocrateum* incurrant errorem, distinguunt inter universalium *essentiam* & *existentiam*, nec non *triplicem naturæ universalis statum*: De quo quid sit sentiendum, videatur apud *Rod. de Arriaga* disput. *Logic.* 4. s. 1. Aliam sententiam alit *Scotus* 7. *Metaphysic.* q. 18. & 2. sentent. dist. 3. q. 1. *Anton. Andr.* & c. & *Scoti* familia magnam partem, naturam ipsam ex se & per se universalem esse, & in ipsis etiam individuis universalitatem actu retinere statuentes: ubi tamen animadvertimus, quod *Fonsæca Subtilem Doctorem* à suis paribus stare velit, *Svaretzius* verò eundem cum *Aristotele* facere conjiciat: *Communis Peripateticorum sententia* est, naturam actu fieri universalem, seu in singularibus esse beneficium & opere intellectus, ita tamen, ut fundamentum aliquod ex parte rei, propter quod à parte rei potentia universalis dicitur, præcedat. Quod si verò universale in actu explicetur de natura ab omnibus conditionibus individuantibus abstracta, quæ per modum entis indivisi, multisq; communis, & proximam aptitudinem ad prædicationem habentis concipitur; universale autem in potentia intelligatur de

eo, quod intellectui ejus fundamentum præbet. *utiq; hoc, non illud à nobis affirmari è superioribus liquet.* Plura hac de re legantur apud *Suarezium* disp. d. sect. 2. Nos verò interea, ut, quæ adsetimus, clariora, & quantum fieri licet, intellectu faciliora reddamus, sequens apponimus axioma.

AX. III.

Universale fit ab intellectu.

Duo in *universali* spectantur, *materiale* seu *fundamentum*, & *formale*; & hinc duæ ejus oriuntur species; aliud enim est *universale*, quod *materiale* vocât, & aliud, quod *formale* nuncupatur. *Illud*, cum reale quid sit, & ante mentis operationem in re deprehendatur, *ab intellectu non producitur*; *hoc* verò, quia omne suum esse ab intellectu habet, *ab eo etiam fieri constans Thomistarum adsercio est*; quod ex parte etiam ex superiori axioma innotescere potest. Id est, quod hóc locò addere animus est, quod magnâ animi contentione inter *Scholasticos* disputatur, *fiantne universalia per abstractionem, an verò per comparationem intellectus?* De qua re ut facilius ac felicius iudicium feramus, aliquot *distinctiones* adducendas arbitramur. 1. enim, ut alias omittamus, quæ ad nostrum scopû non faciunt, sciendum, *intellectum* alium dici *agentem*, qui speciem impressam producit; alium *possibilem*, qui ipsam cognitionem operatur, seu per speciem intelligibilem ab agente factam intelligit. *Operatio* autem, quod secundò locò tenendum, vel est *directa*, quæ, ut loquitur *Fr. Sorianus* disp. d. sect. 6 *directè in rem tendit, quam species intelligibilis representat, & ad quam ducit intellectum per se & simpliciter*; vel *reflexa*, quâ *intellectus* revolvitur *supra priorem cognitionem, vel supra objectum ejus, secundum eas condiciones, vel denominationes, quas ex cognitione accipit.* Præterea & hoc adden-

H

adden-

addendum, quod *abstractionum* alia sit *realis*, quæ unum ab alio re ipsa se jungit, alia *intentionalis*, quâ aliquid per cognitionem ab alio separatur, cui tamen in re conjunctum esse potest: Et hæc vicissim vel *negativa*, quando per propositionem negamus unum de alio, sive id verè, sive falsò fiat: unde & ab aliis *divisiva* & licet secundum *Castan* minùs commodè, *composita* appellatur; vel *precisiva*, quæ fit, cum simplici apprehensione unum cognoscimus, reliquis, quæ ei conjuncta sunt, prætermittis: tandem neq; hic prætereundum est, quod monet *Suarez* de *univ. term. & univ. sect. 6.* universale aliquid à nobis dupliciter concipi, vel denominari, 1. *ut quid absolutum secundum esse, quo potest relationem aliquam fundare.* 2. *ut relativum secundum esse, dicens ordinem ad inferiora.* De *comparatione* autem, ut & hoc adjiciamus; notandum, quod fiat, quando intellectus varias res intuetur, easq; inter se confert, dum aliquibus, in quibus differunt, dimissis, ea in quibus conveniunt, deprehendit. *Hinc* ait *Cl. Scheiblerus* lib. 1. *Metaph. p. g. cap. 7. lit. 7. a. q. quia communia attributa invenit, imponit ei etiam aliquod commune nomen: Et hoc commune nomen signat naturam communem ob rationem eandem repertam in singulis.* Quibus observatis cum *Suarez* 2. 10, *Scheiblero* aliisque nonnullis statuimus, universale fieri & per *comparationem intellectus*, quod docent *Socinus* 5. *Metaph. q. 27. & 6. eorundem q. 18. &* ut alij volunt, per *abstractionem precisivam*; (puta propter intellectus fecunditatem, quæ unam eandemq; rem diversis modis apprehendere valet) & quidem per *directam intellectus possibilis operationem*, modò universale secundum esse absolutum, quo relationem fundare posse dicebatur, intelligatur: Quod si autem illud secundò modò sumatur, de relatione uni-

versa.

versalitatē, prout à nobis concipitur ad modum relationis secundum esse, non sufficere solam abstractionem, sed illud fieri per comparationem probat sapius allegatus *Swarcz*; f. 6. n. 10. Ubi tamen non negamus, si quis probare possit, intellectum agentem non producere species representantes individua, cum cum *Fonseca* 5. *Metaph.* c. 28. q. 1. & 6. *Domini, de Flandria*. 3. *Metaphys.* q. 2. art. 2. & 7. eorundem. q. 16. a. 1. aliquò modò probabiliter adfertur, universale esse per operationem intellectus agentis: sed tamen hoc neq; semper procedere ex argumento *Roder. de Arriaga* disput. *Logic.* 6. sect. 7. neq; propriè affirmari è rationibus *Swarcz* satis superq; innotescit. Legatur hic sect. 6. disput. 6. ubi hæc pluribus proponit: nobis brevitati, ne disputatio justò longior fiat, studendum est.

Ax. IV.

Universale fit à solo intellectu.

Non disquirimus, utrum aut quomodo universale intellectui suam essentiam in acceptis referat: id enim in superioris axiomatis exegesi ostensum fuit: sed hoc volumus, an etiam universale possit constitui ab externis potentiis? quod pernegamus, si propriè loqui velimus: κατὰ γένεσιν tamen & impropriè id dicere licet; non quidem quasi ab externis actibus producat, quando v.g. albedinem, quam à nigro aliisq; coloribus distinguere non datur, noctu vel è longinquo videmus, ut non nemo docuit: sed quod à potentiis externis tunc fiat universale, quum v. g. ex parte objecti multa ut unum cernuntur. *Adverte tamen*, inquit *Arriaga* disput. *Logic.* & dd. n. 41. ita admitti ab aliis potentiis, fieri posse universale, ut etiam doceatur, non esse universale Logicum, quia non sit universale predicabi-

le de multis, sed precisè representans multa, intellectum verò facere universale & in essendo & in predicando, quatenus eam naturam, quam primò apprehendit & reddidit universalem, postea predicat de pluribus; ceteras verò potentias non posse eas facere predicationes &c.

Ax. V.

Unitas formalis & universalis differt à numerica,

Commune hoc *Thoma & Scoto*: in modò autem explicandi discrepant. *Hic enim 1. dist. 2. q. 7. & 7. Met. q. 16. & qui ab ejus partibus stant Anton. Andr. 7. Met. q. 7. Jandun. 2. Metaphys. q. 6. Fons. 5. Metaph. cap. 7. q. 13. discrimen formale & essenziale ponunt. ille verò cont. gent. cap. 95. cum suis discipulis Cajetano, Capreolo &c. non aliam, quàm rationis distinctionem inter unitatem formalem & numericam in eòdem individuo intercedere propugnat: in quam sententiam cum rectissimè discedi autumamus, unum ejus rei argumentum è Zabarell. ad cont. 106. 2. poster. anal. afferemus, ubi sic infit. *Quod si universale & particulare (ita enim appellat unitatem univers. & numericam) non essent una, & eadem res, sed diversa atq; disjuncta, nulla appareret ratio, cur ex apprehensione particularium colligi possit universale, quod autem sint una & eadem res ostendit Aristoteles satis artificiosè, dum ipsum sentiendi actum cum natura sensus comparat: nam ille ad particularia fertur, hac ad universale: igitur universale & particulare sunt idem, &c. Plures rationes extant apud Suar. d. d. sect. 1. Conimbric. colleg. lic. quæst. 4. art. 2. Complutens. disput. Logic. d. quæst. 4. & alibi passim, Quas in conflictu nemini denegabimus.**

Ax. VI.

Universale est ubiq;

Ubiq; esse secundum Philosophos dupliciter explicatur

tur 1. de eo, quod cuius rei præsens est; seu omnem locum occupat, 2. de eo etiam, quod nulli certo loco adstrictum est; illam præsentiam vocant positivam, quæ soli Deo competit; hanc negativam, quam universali attribuunt, quod indifferenter omni loco adesse queat. Vide F. C. de Abra de Racon. tr. 1. de univers. sect. 4. q. 2. Ita communiter hoc exponitur. Comment. in Bedæ axiom. de universali, quod supra in causando appellavimus, id verum pronunciat. Rectè Quidem suo sensu; sed non ad mentem Aristotelis qui 1. post. analyt. context. 182. unde regula desumpta est, de eo universali non agit. Zabarella in comment. d. l. vocem (ubiq;) etiam sensum positivum habere posse: Significat enim, inquit, non quidem omnia loca simpliciter, sed omnia loca singularium; nam singulum individuum alicubi est, & in loco suo tantum, non in locis aliorum; ac universale est ubiq;, id est in omnibus simul locis suorum singularium.

Ax. VII.

Universale est æternum.

Tò esse tripliciter accipi docet Aquinas in 1. dist. 33. a. 1. ubi sic infit: Unò modò dicitur esse ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur, quod definitio est oratio significans, quod est esse. Aliò modò dicitur esse ipse actus essentia, sicut vivere, quod est in viventibus. Tertio modò dicitur esse, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod est dicitur copula. De esse secundò modò sumptum axioma ob contradictionem admitti nequit, ut patet ex exegesi axiom. 12. De tò esse autem, quod Thomas quidditatem rei nominat si loquamur, distinguimus inter illud, quod æternum secundum essentiam positivè & quod negativè tale dicitur. De hoc cum Thomæ Aquinate aliisq; autoribus adserimus regulam; cum universale negativè incorruptibile & ingenerabile meritò dicatur

catur, quod secundum se non habeat principium suæ corruptionis, aut generationis, & per consequens neq; sui finis aut principij: *illò autem modò sumptà voce eam non ausimus affirmare*: cum non modò rectæ rationi; sed etiam SS. scripturæ, quæ solum Deum opt. ab æternò h. m. esse expressè affirmat, manifestò refragetur. Dicitur ergo universale perpetuum secundum esse essentia seu potentiale; nò verò secundum existentiam extra suas causas. Ad eundem modum F. C. de Ræonis tr. sect. q. q. 1. aliq; multi canonem limitant. Vid. Colleg. Complut. disput. Logic. 4. q. 1. & Svaretz diff. d. sect. 7. n. 7. Petrus Fonseca 5. Metaphysic. 28. q. 8. l. 3. ait *universalia etiam dici æterna, quia unitas præcisionis & aptitudo existendi in multis perpetuò illis convenit, etiam quando non existant, eò modò, quò alia proprietates dicuntur eis perpetuò convenire absolvendo copulam ab existentia temporis*. Quod tamen Suarius non admittit: non, inquit, video, quomodo possit hoc esse verum, nisi fateamur, aliquam universalitatem per se ac necessariò convenire naturæ &c. De tñ esse propositionum, an scilicet illæ sint æternæ, alibi. Conf. etiam exeg. ax. disputat. 2. ubi essentias rerum æternas pronunciamus,

AX. VIII:

Universale non limitatur ad certam naturam.

Id expedire volumus, quod monet Porphyrius in prædicabilibus, an nempe universalia sint corporea, an verò incorporea. Ræonis respondet universale esse corporeum, quod in corporeis: incorporeum verò, quod in incorporeis particularibus existit. Rectè quidem, sed non sufficienter hoc dictum est; non enim solùm, ut bene annotavit Sva-

retzcius

retius disput. & sect. d. n. 4. res spirituales & corporea inter se; sed etiam corporalia cum spiritualibus aliquam convenientiam & similitudinem habent: ideo, ait idem ibidem, non solum dantur universalia quadam corporea, & alia incorporea; sed etiam quadam dantur utrisq; communia. ut substantia, qualitas &c. Hec enim à corporeis & incorporeis rebus abstrahunt. Quomodo Conimbricenses hanc quæstionem proponant, ac decident, vid. ad præfat. Porphy. Quæst. 4. art. 5.

Ax. IX.

Universale non cognoscitur à sensu.

Αὐτὸ ἀνεπι, ait Aristoteles 2. poster. analyt. cap. ult. τὸ καθ' ἑκάστην, ἢ δ' αἰσθησις τῆ καθόλου ἐστίν, οἷον ἀνθρώπων ἀλλ' ἢ καὶ τῶν ἀνθρώπων. Ad quæ verba ita Jacobus Zabarella commentatur: ipse quidem sentiendi actus est solummodo rei singularis; non vero est rei universalis, nisi per accidens: at ipsa sensus natura respicit universale ut objectum adequatum, non singulare. Unde Cl. Schesblers lib. sententiæ exercit. 19. intelligitur, inquit, hos de sensu in actu posito, & ut nunc cognoscit. Huc pertinet illud aliorum: singulare invenit in sensu.

Ax. X.

Universale plus habet, quàm singulare.

Putat quod ad communitatem, quâ pertinet ad multa; singulare verò plus habet, quoad ultimam existentiam. Unde Capus pathogr. entit. eluc. 16. rectè docet plus esse sub Universali, quàm sub singulari; at in singulari plus esse, quàm in universali.

Ax. XI.

Universale est prius singularibus.

Alij contrariò planè modò idem efferunt; univer-
sale

fale singularibus posterius esse adferentes: Utrumq; admittit Armandus de B V. Cujus tract. termin. transcendent. cap. 276. hæc sunt verba Universale dupliciter potest considerari: unò modo, quod natura universalis consideratur similiter cum intentione universalitatis, ut scil. unum & idem habeat habitudinem ad multa, & proveniat ex abstractione intellectus & sic oportet quod secundum hunc modum universale sit posterius. Aliò modo potest universale considerari, quantum ad ipsam naturam universalitatis vel humanitatis, prout invenitur in particularibus: & sic dicendum quod duplex sit ordo natura: unus secundum viam generationis & temporis, secundum quam viam ea, que sunt imperfecta & in potentia sunt priora: & hoc modo magis commune est prius secundum naturam. Alius est ordo perfectionis sive intentionis natura: & sic actus est prior simpliciter quam potentia & perfectum quam imperfectum: & per hunc modum minus commune est prius secundum naturam, quam magis commune. Conimbric. Colleg. in 1. lib. physic. cap. 1. quæst. 2. art. 4. duas ponit assertiones; quarum una hæc est: Cognitione distinctâ actuali magis universalia notiora nobis sunt, quam minus universalia. Altera ita habet. Cognitione distinctâ potentiali minus universalia notiora nobis sunt, quam magis universalia. Utramq; Philosophorum, omnium consensu firmatam esse docent. Quod si autem de cognitione confusâ actuali sermo sit, dissidentium opinionem varietate dubiam satis redditam esse regulam quivis videt. Qui Thomæ sententiam amplectuntur consulant, autores à Dd. Conimbricensibus in lib. 1. physic. Arist. cap. 1. q. 3. allegatos: Qui autem cum Scoto faciunt, videant eum 1. sentent. dist. 3. quæst. 2. Lich. ibidem Tromb. 7. Metaphys. aliosq; ex hujus Scholâ. Quod autem hic de magis & minus universali dicitur id nostro axiomate, rectè applicari manifestum est,

AX. 12.

*Peremptis singularibus, universalia
pereunt.*

Ratio canonis depromi potest e regula 7. & 2: si enim universalia non sunt æterna secundum essentiam *possivè*, neq; extra singularia reperiantur, utiq; veluti nihil sunt, antequam singularia producantur, ita etiam in nihilũ redeant necessũ est, quãdo singularia destruũtur. Ut docent *Aquin.* 1. p. q. 10. a. 3. *Capreol.* in 2. dist. 1. q. aliq; communiter. *Complutenses* tamen e *Mas.* universalia tripliciter manere nõ superstitibus singularibus affirmant 1. in virtute suarum causarum: 2. in exemplaribus seu idẽs *Divinis* 3. in intellectu creato, vel *Angeli*, vel *hominis* ratione *specierum intelligibilium*, qua illa representant.

Singularium non est scientia.

Præcipua causa, inquit *Conimbr. Dd.* in cap. 7. de mat. demonstr. 9. 1. a. 3. *hujus communis sententia de sumi potest ex iis, qua Aristoteles docuit in initio capitis, ubi dixit scientificas conclusiones esse de his, qua competunt hõc, quõ ipsum est, id est reciprocè; sed singularia nulla habent predicata reciproca: ergo non possunt terminare scientiam: Minorem in præfat. Porphy.* suadẽt ubi ostendũt, singularia nullas habere proprietates distinctas a proprietatibus nature communis. Hinc *Roder. de Arriaga* disputat. *Logic.* 16. sect. 7. n. 58. non de quacũq; cognitione scientifica, sed de tali, qua scientiam totalem gignit, canonem intelligendum esse docet. *Themistius & simplicius*, testibus *Conimb.* l. d. distinguunt inter singularia incorruptibilia, qualia sunt v. g. sol, luna, cœlum & similia, quæ species monadica vocantur, & corruptibilia, ut *Plato*,

hic canis &c. de quibus scientiam dari negant, eò quod inter illa, & eorum prædicata non sit perpetua connexio. Unde & Scaliger: *Qua usu mutantur assiduo, partim quotidie subnascentur, partimq; interiere, ea ignorari necessum est, cum æternarum tantum rerum scientia sit: est enim scientia habitus animi certus: & corruptibilia incerta sunt.* Quod si cum Zabarella in 1. poster. analytic. context. 13. distinguere velim* inter *singulare, quod simpliciter est tale, seu quod de nullo predicatur & quod tantum per comparationem est, sive nomen obviat, & hinc regulam nostram describere licebit: veram enim eam esse patet, si vox singularis priori modo explicetur.*

AX. XIV.

Singulare non definitur.


Constat hoc ex *Aristot.* 1. post. analyt. cap. 7. & 7. Met. cap. 15 cui tamen adversari videtur, quod *idem* 2. post. analyt. tradit. dum ait: *facilius est, definire singulare quam universale.* Quem scrupulum ut tollamus, è superiori axiom. repetimus, *singulare* dupliciter sumi; vel pro eo, quod *minus est singulare*; de quo loquitur *Aristoteles* posteriori loco; vel pro *individuo.* Hoc potest considerari, vel ut *singulare in hoc supposito* nempe *Johanne, Andrea, Bucephalo, aliisque*; est; vel ut *omnibus individuis tribuitur.* Hoc modo, qui alias vocatur *actus signatus, definiri potest: illo autem sive actu exercitio* quod mutabile sit, id negare videtur *Aristoteles*; imprimis si de *definitione perfecta* loquamur. Quod autem sol & alia ejusmodi definiantur, fit, quod ut species concipiantur, de quarum natura, si multiplicarentur, omnia ex æquo participarent. Potest hoc dubium & aliquo modo expediri ex iis, quæ ad superiorem canonem annotavimus. Conf. *Monlor.* de univers. cap. 1. *Perer.* lib. 3. *physic.* cap. in *Zabar.* 2. post. analytic. ad cont.

AX. 15.

Singularia ejusdem speciei aequalia sunt.

Quot modis \approx aequale sumatur, id in disput. proximè superioris axiom. 7. explicavimus: illud hic volumus, *singularia sub eadem specie infimâ contenta parem habere essentia perfectionem*, seu, *ex his alia aliis secundum gradum suæ particularis essentia perfectiora non esse*; non morantes articulum *Parisiensem*, in quo veluti è *Doctore Sorbonico* referunt *Conimbricenses* in 2. *Phyfic.* cap. 7. q. 7. a. 2. *animarum aequalitas condemnatur*. Quoniam enim individua in essentia specifica convenire necessum est, utiq; & eadem naturam eandem habere oportet. Nec obstat, quod obiicitur, eorum alia aliis perfectiùs, alia minus perfectè operari: id enim non est adscribendum ipsi naturæ; sed ut ajunt *Conimbr.* d. 1. à *materia qualitate, & meliore organorum apparatu & dispositione provenis*. Videantur præter *Conimbricense Collegium* etiam *Durandus* in 2. dist. 32. q. 3. *Fonseca* 5. *Metaphysic.* cap. 25. q. 16. *Soncinas* 8. *Metaphysic.* q. 26.

Hactenus de *Metaphysici universalis, & singularis axiomatibus*.



COROLLARIA.

1.

Nominis & verbi explanationem, quæ in enunciationis doctrina proponitur; non magis logica utilem arbitramur, quàm quintam rotam curri.

2. *Sophi.*

2. *Sophistica non est pars logica, si propriè loqui velimus; neq; tamen propterea ab ea excludi debet.*

3: *Non sit nobis verisimile, quod Aristoteles ex propria sententia orationem inter quantitatis species posuerit.*

4. *Existencia ab essentia non differt realiter.*

5. *Pradicamenta in Metaphysicis qui considerat, nescit quantum distent ara lupinis.*

6. *Passiones qui negat in animum sapientis cadere, is inter sapientes immeritò numeratur.*

Ad Literatissimum.

DN. RESPONDENTEM.

EXcolis Eusebien jungis Crügere Sophiam,

Et meritò fanè jungis par dulce sororum.

Quæ junctas adamant operas. Tu sedulus urge

Hoc opus, hic labor est studio dignissimus omni.

Cæpta secundabit Numen, placitisq; fruëris,

Et non ingratae donabunt munera Nymphæ.

Quod obtab.

M. Johannes Corfinius, Eccles.

ad D. Mar. P. & P.P.

Adeste, non qui Liberi crateribus,

Sed qui madescitis Minervæ Nestare;

Adeste, & asidete Phœbi fontibus;

Dum CAUPO noster, qua sititû pocula,

Infusa vobis in salutem Apollinis

Utro Propinet UNIVERSA & SINGULA.

Quæ si novellus CAUPO vobis videris

Placere, factus Candidatus plurimos

Hujusmodi frequens liquores offeret.

deprop.

PRÆSES,

resmi boup
nil-ox
Peremptis singularia
per

Ratio canonis depr
enim universalia non fun
possiode, neq; extra singulari
hil sunt, antequam singularia
nihilū redeant necessū est.
Ut docent Aquin. l. p. q. 10. a
communiter. Complutenses
pliciter manere nō superfl
1. in virtute suarum causarum
Divinis 3. in intellectu creato
specierum intelligibilium, qua ill

Ax.
Singularium no

Præcipua causa, inquit
mat. demonstr. 9. 1. a. 3.
potest ex iis, quæ Aristoteles doc
tificas conclusiones esse de his, qu
id est reciprocè; sed singularia
ergo non possunt terminare scien
phyr. suadēt ubi ostendūt, si
res distinctas à proprietatibus na
de Arriaga disputat. Logic
cung, cognitione scientifica, sed
gnie, canonem intelligendum e
cius, testibus Conimb. l. d. d
corruptibilia, qualia sunt v. g.
quæ species monadica vocantu

ersalia

è regula 7. & 2: si
undum essentiam
ar, utiq; veluti ni
tur, ita etiam in
ularia destruuntur.
n 2. dist. 1. q. alijsq;
f. universalia tri
laribus affirmant
emplaribus seu idēis
vel hominis ratione
re.

id.
Dd. in cap. 7. de
nis sententia de sumi
vis, ubi dixit scien
hoc, quod ipsum est,
radicata reciproca;
em in præfat. Por
s habere propria
nis. Hinc Roder.
n. 58. non de qua
ntiam totalem gi
remissius & simpli
nter singularia in
celum & familia,
ibilia, ut Plato,
hic

